



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Windocinensi Carnotensis diocesis & sancti Iuliani Turonensis Abbatibus, &  
Priori Majoris monasterij Turonensis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20020**

diffidatos à nobis, & universis nostris fidelibus injungentes ut eos tamquam diffidatos impugnent. Datum Soræ, pontificatus nostri anno undecimo.

**WINDOCINENSI CARNOTENSIS** diocesis & sancti Iuliani Turonensis Abbatibus, & Priori Majoris monasterij Turonensis.

**T**Enorem litterarum quæ vobis ex parte nostra dicuntur super correctione Burgulienfis monasterij præsentatae in litteris citatoris inspeximus comprehensum quas dilectis filiis Luca Abbati & conventui ejusdem monasterij direxistis. Verùm si quem vos habere deceret discretionis spiritum haberetis, ex eo saltem credere potuistis easdem litteras de conscientia nostra minimè processisse quòd nos tam inconstantes & mobiles reputare nullatenus debuistis ut qui paulò antè non sine sollicitudine diligenti per delegatos à nobis monasterium ipsum salubriter corrigi feceramus, recenter voluerimus quæ fuerant bene acta pervertere ac rediivam in eo religionis monasticæ disciplinam recidivæ correctionis occasione vexare. Sed & illud vobis intelligentiam dare potuit quòd præfatæ litteræ nequaquam de nostra conscientia manaverunt, quia cum monasterium ipsum, non solum publico sui nomine, verùm etiam per sui negotia multiplicia, quæ nos frequenter in instantia nostræ sollicitudinis occuparunt, notissimum nobis existat, verisimile non apparet quòd ejus monachos de Burguol, sicut in eisdem litteris continetur, Gallico idiomate scripsissemus, quos sermone Latino Burgulienfes consuevimus appellare. In quo procul dubio deprehenditur quòd si litteræ ipsæ quomodocunque à nostro auditorio processerunt, fraudulenter fuit, ut insuetum, Gallicum nomen positum, ne per Latinum, ut assuetum, monasterium ipsum fuisset redditum nobis notum. Quocirca discretionis vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus si nondum per illas litteras processistis, procedere per eas nullatenus præsumatis, & si quid occasione ipsarum forsitan attemptastis, illud sublato cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo penitus revocetis, sollicitè provisiuri ut consideratis omnibus quæ circa litteras ipsas considerata videritis, si falsitatem ipsarum per vos ipsos potueritis deprehendere, tam impetratores ipsarum quam eos qui scienter fuerint usi eis secundum

Tom. II.

pœnam contra falsarios editam appellatione postposita puniatis. Quòd si per vos earum nequiveritis deprehendere falsitatem, ipsas nobis vestris litteris interclusas dirigere non taretis, proviso quòd mandatum nostrum taliter executioni mandetis ne per alium illud oporteat adimpleri. Alioquin de Claromonte, de Chaloccio, & de Buxeria Abbatibus Cisterciensis ordinis Cenomannensis & Andegavensis diocesum dedimus in præceptis ut vobis in ejusdem executione mandati cessantibus, ipsi appellatione remota illud post mensem exequi non postponant. Quòd si non omnes &c. duo vestrum &c. Datum Soræ xii. Kal. Octobris, pontificatus nostri anno undecimo.

**LUCÆ ABBATI MONASTERII** Burgulienfis ejusque fratribus tam presentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum.

Vide supra lib. 10. epist. 14.

**R**eligiosam vitam eligentibus apostolicum convenit adesse præsidium, ne fortè cujuslibet temeritatis incurtus aut eos à proposito revocet, aut robur, quod absit, sacræ religionis infringat. Ea propter, dilecti in Domino filij, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & præfatum monasterium sancti Petri Burgulienfis, in quo divino mancipati estis obsequio, ad exemplar felicitis recordationis \* Silvestri Papæ prædecessoris nostri sub beati Petri & nostra protectione suscepimus & præsentis scripti patrocinio communimus. In primis siquidem statuantes ut ordo monasticus qui secundum Deum & beati Benedicti regulam in eodem monasterio institutus esse dinoscitur, perpetuis ibidem remporibus &c. Præterea quascunque possessiones &c. idem monasterium in præsentiarum justè ac rationabiliter possidet &c. usque permaneant in quibus hæc propriis &c. Locum ipsum in quo præfatum monasterium situm est, cum omnibus possessionibus & pertinentiis suis. Curtim Burguliensem cum Ecclesia sancti Germani & Ecclesia sancti Nicolai ac omnibus utilitatibus ad ipsam curtim & Ecclesias pertinentibus. Ecclesiam quoque Chociacum super fluvium Ligeris cum portu & quicquid ad ipsam pertinet. In pago autem Turonico quartas tres ex beneficio Corbonis Militis. Item ex supradicto Milite quartas quatuor de curti Suliacinsæ. Item medietatem curtis de Casanias, cum medietate Ecclesiæ sanctæ Mariæ omnibusque utilitatibus ad medie-

Epist. 141. De confirmatione privilegiorum. Vide to. 4. Gall. Christ. p. 206.

\* Vide ibid. pag. 202.

D d